



h

L

M

P



h. 76, 44.



DE RECTORIBVS SCHOLAE NOSTRAE CRVCIANAE
PRIMA VICE SCRIBIT

ET VT

ACTVM VALEDICTORIVM

SEPTEM IVVENVM SPEM NON LEVEM PRAE SE FERENTIVM

AVT CERTO POLLICENTIVM

D. IIII. MAII A. R. S. CIO C CLXX

HORA II. POMERIDIANA AVDITA

MAGNIFICVS EPHORVS PRAECELLENTISSIMVS

AMPLISSLIMVSQVE REIPUBLICAE DRESDENSIS

SENATVS SVMME REVERENDI ECCLESIAE

MINISTRI

NEC NON OMNES

PATRONI FAVTORES ATQVE AMICI
SCHOLAE NOSTRAE PIE DEVENERANDI
ATQVE HONORATISSIMI

BENEVOLE PRAESENTIA SVA CONDECORARE

VELINT

OMNI OPERA ROGAT ET HONORIFICIS
VERBIS INVITAT

DANIEL TRAVGOTT MÜLLER

RECTOR SCHOLAE CRVCIANAE.

DRESDAE

TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.






uaedam de Schola, quae hic Dresdae floret, Cru-
ciana, duobus abhinc annis, me in medium pro-
tulisse, et simul Virorum, qui in ea docuerunt,
et nomina et quamdam notitiam aliquando colli-
gendi, et ad tempora nostra deducendi aliquo modo indicasse con-
sillum ^{a)}, probe memor; atque nonnullis, et scholis et earum histo-
riae fauentibus Viris hoc institutum non displicuisse edoctus: nunc
consilium istud persequi, et potissimum historiam Rectorum huius
scholae pertexere, e variis libris colligere, et ad nostram usque
aetatem continuare, apud animum constitui meum. Noui quidem,
et ipse loco mox allegato indicaui, me huius historiae principia au-
spicari nec posse, nec debere, sed vestigia Virorum hac de re meri-
tissimorum esse premenda. Quis vero operi inchoato et prope ab-
solute tanquam fastigium imponere vetat? Quis, quo minus res
vindique exquisitas comportes, nonnullisque quasi symbolis augeas,
impedit? Licet itaque Pandectas nostras, quae inscribuntur, scho-

a 2

lasti-

^{a)} In Indice Pleniore scriptorum typis excusorum et ad Histor. Eccles. Dresd. perti-
nentium, P. II. p. 9 sq.



laisticas, licet *Io. Bohemium b)*, licet *Io. August. Egenolfum c)*, licet *Ludovicum d)*, et licet denique *Celeb. Biedermannum e)* seriem Re-
storum aliorumque scholae nostrae Praeceptorum exhibuisse, iamiam
sim fassus, et adhuc libere fatear: meum tamen consilium vel ideo
non reiiciendum esse automo, quia Pandectis nostris varia a *Schoett-
genio*, cuius fama magna nunquam est peritura, et non pauca, quae
in lucem proferantur, omnino digna, sunt adiecta; quia praeterea
PATRONI PerIllustris et pie Deuenerandi insignis munificentia
me variis huc pertinentibus instruxit; et quia denique dispersa hic
collecta, et ad hocce tempus perducta, legere, nemini ingratum
fore, meo iure arbitror.

Extra oleas me non vagaturum esse plane confido, si, quae
Schoettgenius, cuius nomen semper in deliciis schola habebit nostra,
de Rectoribus eiusdem ante tempora Reformationis exposuit *f)*,
integra huc transcripserim, quia hoc scriptum scholasticum Viri
Litteratissimi idem, quod pleraque eiusmodi scripta habere solent,
habuit fatum, ut nempe propter exiguum molem abiificantur, cum
aliis commisceantur, et sic a posteris fere non conspiciantur aut certe
non, nisi summa adhibita opera, inueniantur. Quia vero *God. Imm.
Grundigii*, de historia patria insigniter Meriti mihique Amicissimi,
labor otium mili fecit *g)*, hocque scriptum obliuioni eripuit *b)*:
non, nisi paucula, apprime huc facientia hic inferam. Quinam
igitur huius scholae ante sacrorum repurgationem fuerint Rectores

sive

- b)* Progr. quo nomina Collegarum Sch. Cruc. Dresd. ab. 1539 sistuntur, Dr. 1672, 4.
c) Progr. Scholast. ed. Dr. a. 1678, 8. p. 97 sqq. *d)* in der Schul-Historie
 P. II. p. 99 sqq. *e)* in Actis Scholast. ed. Lips. et Ifen. a. 1742, Vol. II.
 p. 169 sqq. *f)* in Notitia scholae Dresd. ante tempora Reform. Publ. d. 10.
 Apr. a. 1742. *g)* Chr. Schoettgenii Opuscula Minora histor. Saxon. illustran-
 tia Lips. a. 1767. 8. qui edidit. *h)* l. c. p. 309 sqq.

sue Ludimoderatores, vel, ut etiam audierunt, Magistri Scolarium maxima, quae ipsi fuit propria, inuestigauit diligentia, et primo Petrum Dresensem, quem in patria Ludimoderatorem egisse constans fuit traditio, silentio quidem praeterire duxit nefas; at eum Dresdenis scholae Rectorem siue Ludimoderatorem exiitisse, graibus ad ductus causis, certo adfirmare non audet. Chemnicii, et deinde Cygneae, scholas eum rexisse, certior est fama. Si coniecturae locus esset, forte crederemus, Petrum Dresensem Dresdae quidem docuisse, at scholam non rexisse, et inde aliis scholis praefuisse. Sed in tanta rerum caligine distinctius id videre nec licet, nec studiosius inquirere lubet, quia potissimum a scopo nostro id videtur alienum. Vberius de alio Rectore scholae Dresd. differit Schoettgenius, nempe de Mag. Ludouico Goetzio de Werdis sine Werdensi, quem vero ipsum adeundum esse sibi quilibet historiae amantior omnino credit; quare tantum exinde anno, quod ab anno 1485 usque ad a. 1488 huic muneri praefuerit. Mentionem porro iniicit Schoettgenius M. Ioannis Knesmaert Weysenstatensis siue Magistri Weystadr, quem scholam a. 1513 rexisse legimus. Hunc sine dubio exceptit M. Georgius Doering, Dresd. qui iam a. 1516 hic docuit. Nec multa dicenda esse de sequentibus scholae Dresd. Rectoribus ante annum 1539, quo emendatio sacrorum felicissime fuit peracta, opinor; sed nomina eorum a Schoettgenio eruta, hic alleganda esse omnino reor. Sunt vero, quae hic sequuntur: Ioannes Scheffel, Kilian Kotzschberger, M. Melchior Ruel, M. Matheus Hewssler, M. Georgius Zieler et M. Pistoris. Hos omnes ab anno 1516 hic Rectorum munus sustinuisse, e tabulis Senatus Dresd. Amplissimi demonstrauit; quo vero ordine, quibus annis hi sat multi spartam hancce habuerint, qualesue se gesserint, vix de uno alteroue dicere potuit.

Hisce vero missis ad eos, qui scholam Dresdae, clariori luce donatae, et religionem puriore et elegantiores docuerunt litteras,

me conuerto, vbi plurima scriptoribus iam laudatis me debere, denuo prae me fero, ne quis forte plagii me accusare queat. At simul non possum, quin ingenue confitear, *Ludouici Historiam scholarum nonnulla continere*, quae nec *Bohemus*, nec *Egenolfus* habent, adeoque *Schoettgenii* verba ⁱ⁾: tacet Godofredus Ludouicus in historia scholarum, qui noua nulla superioribus adiunxit; de silentio, quod Ludouicus seruavit in notitia scholae Dresd. ante tempora Reformationis, non vero, quod plane nulla alia noua adiecerit, esse intelligenda. Pandectas vero nostras scholasticas potissimum sum secturus, ex aliisque mox haec, mox illa adspersurus. Post sacra ita repurgata nominatur

I. Magister Nicolaus Groe: (qui latine *Caesius* dici voluit) ^{k)}. Quod multos doctos tunc vexauerit cupiditas, nomina sua vel latine exprimendi vel graece, res est decantatissima, atque, ut duo modo nominem, Reuchlini sive Capnionis & Philippi Melanchthonis exemplis clara. Caesium nostrum huius communis praceptoris Germaniae, Melanchthonis, hac quoque in re pressisse vestigia, eo magis credendum est, quia ipsi fuit amicissimus; ut ex epigrammate L. 2. in eius obitum a Philippo conscripto coniicere licet. Ex hoc vero epigrammate a Ludouico inserto ^{l)} priores tantum et posteriores versus ideo hic addere liceat, quia nostri Caesii et gloria, et Philippi erga eum amicitia, sole meridiano clarius exinde elucefecit, Ita vero ille:

Ergone supremis rapuit mors improba fatis

Te, CAESI, Aonii gloria magna chori? et tandem

Intererea, CAESI mihi dilectissime, salue,

Perpetuum salue, perpetuumque vale.

Cum


ⁱ⁾ l. cit. p. 3. vt in Grundigii Opus, Minoribus Schoettgenii etc. p. 300 indicatur.

^{k)} quae verba sunt Schoettgenii e Tabulario Senatus Dresd. l. cit. ^{l)} l. c.

p. III sq.

Cum eius cura, teste Philippo, fuissest, corda docendi iuuenilia, et Christi multiplicandi gregem, cumque ab anno 1540 usque ad a. 1558 Rectoris prouinciam administrasset: die indicati anni vicesimo quinto mensis Februarii, in fastis Matthiae sacro, ex sectione dexteri cruris, laborantis isto malo, quod Medici σφάκελον και νέκρωσιν, latini fiderationem appellant, hanc in terris vitam clausit. Quot vero annos attigerit, certo quidem coniicere non possumus: interim tamen eum non iuuenem, sed virili aetate gaudentem rebus eruptum fuisse humanis, vel exinde videtur coniiciendum, quia Melanchthon arctissima cum complexus est amicitia, et quia amicitiam potissimum aequales aetate coniungere nouimus.

II. In indice Rectorum scholae nostrae inuenitur *M. Tobias Moestelius*, qui e Tabulario Senatus a Schoettgenio appellatur *M. Thobias Moestell*. De patria eius disceptari posset, si Pandectis nostris fidem hac in re habere vellemus, quae eum Weidensem appellant, cum tamen Egenolfus et Ludouicus eum Plauiae attribuant, quibus accessit etiam Schoertgenius, nostris Pandectis qui adscripsit: *M. Tobias Moestelius Weidensis*, al. *Plauiae Variscus*; qua de re etiam Oettelius est consulendus *m*), qui Moestelium natu Plauensem vocat, et ipsi laudem pii, christiani, humani et sinceri viri tribuit, et rem praeterea omni dubio ferme eximit. Quod si vero non esset, lis tamen haec quantulacunque facile componi posset, si pluribus quidem calculum adiceremus, et Plauensem diceremus, licet forte fuerit Weidensis, quoniam pago vel oppido ignobiliori prognati plerumque vrbi nobiliori et vicinae vindicantur; uti verbi caussa illustres *Pufendorffii*, in pago Floeha nati, nonnunquam et ipsi se Chemnicenses subscripterunt, quod ipse ex libello Esiae Pufendorffii adhuc adolescentis probare possem, sed et ab aliis ita sunt denominati, licet *m*) in der Historie der Planischen Superintendenten p. 27 sq.



plurimos veram ipsis attribuere patriam probe habeam cognitum. Moestelium hunc Virum fuisse, non vulgari eruditione, eloquentia et morum grauitate praestantissimum, non solum omnes testantur, sed eiusdem eruditio ex eo etiam probari potest, quia, ut *Egenolfus n.* et ex eo *Ludouicus adserit o)*, ex academia Vitebergensi, ubi studiorum caussa plures annos vixerat, ad scholae gubernationem, suau ac consilio Philippi Melanchthonis, a. 1558 est euocatus. Idem exinde confirmatur clarissime, quod, cum octo fere annos scholae praefuisset, ad alia grauiora munera fuit adhibitus, quoniam, ut *Schoettgenius docuit p)*, Dresdae a. 1566 Poligraphus, sequenti vero et Senator fuit constitutus, mox vero a. 1568 iussu et auctoritate immortalis Augusti, Principis Electoris Saxonie, Lipsiam, ad capessendum munus Protonotarii in suprema Electorali Curia, est accusatus. Huius quoque rei tunc plura extiterunt exempla, et plures viros, in schola qui aliquamdiu desudarunt, vita scholastica relicta, alia, quae dicuntur politica sive ciuilia ornasse munera, historia copiose euincit litteraria. In cauas vero huius mutationis inquirere multis, qui labor alioquin foret satis iucundus, aut ad exempla plura prouocare, nec libet, nec licet. Unicum exemplum a schola nostra non alienum, nempe *Ioannis Scheffelii*, sicco transire nequeo pede, qui ab a. 1526 scholam nostram rexit q), postea vero Lipsiam se contulit, ibique Iuris utriusque Doctoris et Professoris publici munere cum laude functus, a. 1542 in Senatum eiusdem urbis cooptatus, nec non Syndici, postea a. 1547 Consulis dignitate auctus, demum a. 1554 aetatis LII naturae debitum reddidit. Ad alios scholae nostrae Rectores nunc est properandum, de quorum vero nonnullis paucula tantum me inuenisse non diffiteor, quae tamen plane praeterire nefas foret. Prodeat ita

III. M.


n et o) l. cit. p) in Animaduersionibus Pandectis nostris adiectis. q) quae verba sunt Schoettgenii in Notit. Ich. Dresd. apud Grundigium p. 306.



III. M. *Ioannes Purgoldus*, qui, vt Pandectae et ex iis alii referunt, ex oppido Henichen, prope Vitebergam sito, fuit oriundus, quo et denuo, vt fertur, ad Pastoris munus abiit, functus officio Rectoris per quinquennium. Hic aequae ac quatuor sequentes munus Rectoris non diu gesserunt, sed aut sponte alio abierunt, aut ab officio fuere remoti. Ultimae rei caussam fuisse turbas Crypto-Caluinianas, tunc Saxoniam concutientes, constat: num vero et priores tres, eadem caussa moti, hanc spartam reliquerint, dum nempe turbas illas iam tum si non saeuissse, certe tamen serpissse, nouimus, an status scholae tunc non fuerit optimus^r), ipsique ideo Spartas meliores minusque periculosas ambierint, coniicio quidem, at non certo adservo. Propero nunc ad

III. M. *Fridericum Zorlerum*, de quo Pandectae nostrae, et quae sequuntur, non nisi pauca enarrant. Quare primo ad *Andr. Mollerij* Theatrum Chronicum Freibergense confugio, et ex eo^f) sequentia annoto. Fuit is Kittingensis sive Kitzingensis Francus, vir celebris et in re scholastica versatissimus, qui per annos viginti tres scholae Freibergensis ante ConRector, et Apellis (sive Apelii) Rectoris collega, per decem annorum spatium, nempe ab a. 1571 usque ad a. 1581 Rectoris Dresdensis munus tuitus est. Postea Freibergam suam dilectam reuersus iam sexagenarius, Rectoris munus ibidem, licet per quinque tantum annorum spatium, ornauit, dum, quae muneris ratio exegit, bene est exsecutus, laudemque reliquit non exiguum. Dresdae quoque eumdem laude boni Rectoris floruisse, inde non variis auguror conjecturis. Alia de eo notanda exhibet monumentum eius sepulcrale in Ecclesia Primaria Freibergensi conspiciendum, quod ita se habet: *Celeberrimus Vir M. Fridericus*

^{s)} Status scholae quinam tunc fuerit, vide trium Concionatorum Examen Examinis Pieriani, p. 223 sq. ^{f)} P. I. p. 306 sq.



dericus Zoilerus, Kittingensis Francus, Witebergae in sinu Pauli Eberi Theologi Clariss. enutritus et inde a Phil. Melanchthonne Freibergam missus, Scholarum Dresd. X. Freiberg. XXIX annis Moderator fideliss. in actu et statione sua, cum pridie repugnantibus Collegis officio graui vocis contentionе functus esset, obiit Anno M. D. LXXXVII Prid. Cal. Februar. Aetatis LXV. Sed et alia quae-dam e M. Christ. Frid. Freybergii, Annaeae, cum viueret, Rectore Meritissimo ¹⁾, quin inseram, non possum. Praeter ea enim, quae iam e Mollero annotauimus, ipse nonnulla, quae memorentur, omnino digna, nobis scripta reliquit; quod nempe Paulus Eberus Kitzingenensis Kitzingensem illum amauerit, et Melanchthon eum Freibergensis commendauerit, clarius profecto docet. Certiores quoque nos facit, cur Dresden denuo Freibergam redierit, ab inimicis nempe, licet etiam patronis non caruerit, exagitatus, qua de re ipse etiam abiens cecinit:

Christe vocas, homines me extrudunt rite vocatum,


Ergo alaris capio munera laeta scholae.

Periculum, quod Freiberga Dresden abiens subiit, nec non illud, quod dira pestis a. 1564 ipsi familiaeque minata est, viri huius eruditionem singularem, matrimonium nouemque liberos, nec non inde prognatos posteros vberius exponit *Freybergius*; quae omnia tantum strictum perstringo, plura cognoscere cupientibus, ut ipsum adeant *Freybergium*, suadens. In ferie Rectorum scholae nostrae *Zorlerum* exceptit.

V. M. Bernhardus Heroldus, qui, ut Pandectas nostras *Schoettgenius* emendauit, Rector ante Pegauensis huc concessit, et per annum modo officio functus est, quo elapsi officium sponte, sine dubio graibus caussis motus, resignauit, et Martisburgum ad Rectoris munus capeſſendum rediit. Offert se mihi nunc

VI. M.

¹⁾ in Programm. de M. Friderico Zorlero edito, Dresden. 1741.




VI. M. *Bartholomaeus Rulichius*, Lommacensis Misnicus, primo Collega scholae illustris ad Muldam, et Dresdae Rector designatus a. 1582. Sed munere scholaſtico, integro triennio nondum exacto, ſe abdicauit, et coetui Dei puriori grauiffime inferuit, vti nunc paullo copiosius e Lexico Eruditorum Ioecheriano v) indicabimus. Pirnam nempe concesſit, Praefulſis ſacrorum munus ibi tuiturus, poſtea vero Lipsiam, Archi-Diaconi in aede a S. Nicolao denominata munus fuſcipiens, et tandem Auguſtam Vindelicorum, Paſtoris et Senioris ecclieſiae euangeliceſiae ad finem uſque vitae, qui d. 22. Febr. 1626 contigit, cum annum aetatis ageret ſeptuagesimum primum, munere strenue ibi functus. Quanta vero vitae ſatietaſ illū, mu-neribus grauiffimis defatigatum, et furuſae meliorisque cupiditas ceperit, e verbis Simeonis, quae moribundus emiſit: Domine, nunc dimitis ſeruum tuum in pace; facillimum eſt iudicatu. Quod euangeliceſiae religioni vere atque ſincere fuerit addictus, ex nonnullis ſcriptis eius, quae Ioecherus loco mox laudato nominat, dilucide eſt videndum. Duo nunc ſequuntur, quos turbae CRYPTO-CALUINIANAE, vti certiſſime conſtat, hinc eiecterunt; et primus quidem innoſens, alter vero non ſine culpa ſua Dresda migrare iuſſus eſt. Prodit nempe

VII. M. *Michael Rackelmannus*, Weida Variscus, de quo noſtrae Pandectae ſcholaſticae, et cum iis Enegolſus et Ludouicus, haec referunt. Rector factus eſt a. 1585, et officio praefuit triennium uſque ad a. 1588. Nam eo anno fatali quodam malo a Caluinianis pulsus in exilium ire coactus eſt, ex quo tamen post paucorum annorum decurſum reuocatus in ſchola illuſtri Mifenaе prouinciam Con-Rectoris adminiſtrauit. Sed optime Ioannes Henricus von Seelen adnotauit x), quod Rackelmannus, Dresda eiectus, per

b 2

qua-

v) Edit. 1751. p. III. p. 2308. x) in Atheneis Lubeci p. III. p. 205 ſq.



quatuor fere annos munus Rectoris in Atheneo Lubecensi sustinuerit. Quae vero fuerint caussae, ob quas abdicare se Rectoratu, teste Bangerto, necesse habuerit, et a. 1593 d. 9 Febr. hinc in patriam concederit, non audet dicere. Bene vero eum res suas Lubecae gessisse, non obscure evincit, plura de eo refert, et ex eius discipulis duo principes Theologos Lutheranos prodiisse, nempe Fridericum Balduinum, quem Dresdae, et Henricum Hoepfnerum, quem Mis senae instituit, et tandem a. 1609 diem obiisse supremum, locus Seelenii laudatus indicat, ad quem, breuitati studens, prouoco. Alter vero, de quo mox sum locuturus, exilium non innocens sustinuit, sed sua sibi culpa contraxit. Est iste

VIII. M. Casparus Ianicius aut Ienitius, vel, quae Schoettgenii verba sunt, al. Iancek vel etiam Ienichen, Budissinus. Eodem Schoettgenio duce huncce primo, nempe a. 1582 ConRectoris in patria, a. 1584 Poligraphi Loebau. a. 1586 Rectoris Lauban. a. 1587 Rectoris Zittauiensis munia sustinuisse, commemoro, licet Ludourcum in nonnullis alia prodidisse ^{y)}, probe habeam perspectum. Cur vero dicatur in Pandectis nostris ex schola Camentiana huc euocatus, indagare non potui. Quicquid demum sit, fuit in Rackelmanni, purioris doctrinae amantis, ideoque hinc abire iussi, vocatus locum, sed administrandae huius prouinciae non dia ipsi fuit potestas. Anno enim 1591 CHRISTIANO I. Principe Electore Serenissimo, praematura morte abrepto, magna rerum mutatio, ut cuilibet est notissimum, contigit, turbaeque illae fuere sepultae. Ianitius itaque, qui Caluinianorum profitebatur religionem, ab officio remotus, et vrbe exire intra menstruum spatium iussus est. Quo vero deinde se contulerit, qualibus fatis iactatus fuerit, et qualem vitae exitum habuerit, me nusquam reperiisse, adeoque plane

^{y)} I. c.P. II. p. 86 in Indice Rectorum Zittau.

plane ignorare, profiteor. Cum per tres et triginta annos Rectores scholae nostrae extitissent septem, quorum nonnulli turbis Saxoniam infestantibus, sine dubio, ut hinc abirent, fuere compulsi; laetioribus nunc temporibus plurimi diutius hic persisterunt, et non, nisi morte abrupti, muneri suo valedixerunt. Est eorum

VIII. M. Tobias Simon, Dresdensis, qui primo in schola patria fuit ConReector: quam dicit vero hancce ornauerit spartam, e nostris non liquet Pandectis, anno nimirum, quo illum capessit, deficiente. Hoc certum est, eum, in Ianitii electi locum cum a. 1591 Rector fuisse constitutus, hoc solo munere per 32 et quod excurrit annos fuisse functum; sicut Ioecherus utriusque muneri ipsius circiter tres et triginta annos tribuat z). Hoc vero falsum esse exinde liquet, quia d. 8 Ianuar. a. 1624 e vita excessit, nisi forte ConReectoris partes unum tantum alterumue mensem sit tuitus. Virum eum satis omnimoda eruditione, morum integritate vitaeque gravitate clarissimum, testantur omnes. Inter scripta eius potissimum floret laude Oratio de Dresda munitissima et ob aulam Illustriss. et Potentiss. Electorum et Ducum Sax. celebratissima, ed. Dr. a. 1622 4. pl. 5. nec non ei. Oratio de praecipuis beneficiis, huc usque in scholam Dresensem a Deo collatis, 4. Dresd. a. 1619 pl. 3. a). Tandem, quae nostris Pandectis scholasticis, et ni fallor ab Egenolfo, sunt adscripta, hic praeterire nefas duco. Huius filius, sic ait, fuit M. Eusebius Simon, Diaconus Dresd. ab a. 1624 usque ad a. 1643. vid. Weckii Chronic. p. 229. Nepos ex hoc filio Ioannes Simon, S. S. Theol. Licentiatius, Pastor Kirchhayensis et Superintendens Dobrilucensis per annos 23. Eius vitam descripsit Dn. D. Goezius

b 3

in

z) Lex. Erudit. ed. a. 1751 P. III. p. 607 a) Caratius hanc orationem perlegens, Bohemum, seriem omnium scholae nostrae praceptorum conscribentem, nostrum Simonem habuisse ducem, vidi.



in Schediasmate von den zerstreueten Dresdnern p. 125 sq. obiit a. aetatis 69, Christi vero 1701. Pronepotes huius filii 1) M. Eusebius Simon, design. Diaconus Afrantus, sed qui ante initum officium hic obiit Dresdae 1693. 2) David Simon, I. V. D. et Aduocatus in Ducatu Coburgico. Tandem his nouem vnum adhuc adiicio, nempe

X. Georgium Haufmannum, Mitweidensem. Fuit is Poeta Caesarus, isque latinus non inelegans, qui primum in schola patria aliquamdiu ut ConRector b) deinde in schola Freibergensi a d. 15 Ianuar. a. 1619 ut Collega Tertius c) et ab a. 1624 in nostro Crucianeo tanquam Rector inclaruit, et d. 28 Ianuar. a. 1639 obiit, cum officio huic annos ferme quindecim praefuisse d). Scripsisse eum flores de quatergeminis areolis Horti euangelici, versibus graec. lat. et germanicis, nec non laudem posthumam Gustaui Magni Succorum Regis, et denique magnum pietatis mysterium, discimus e Ioechero e).

Hic finem ut huic imponam scripto, cogit me satis magna adhuc notandorum copia, dum quinque Rectores, Bohemus, Egenolfus, Gelenius, Schoettgenius atque Kretzschmarus supersunt, de quibus vero, Deo iuuante, alia occasione sum scripturus.

Nunc autem, quid scribendi ansam mihi suppeditauerit, potissimum est subiiciendum. Septem nempe iuuenes, qui non leuem spem praese ferunt aut eam certo pollicentur, honestam e ludo nostro missionem efflagitantes, et crastina luce publice dicturi, PATORVM atque FAVTORVM pie Colendorum exoptatam

b) v. Ioecherum, Lex. Erud. P. II. p. 1409. c) Moller. Chron. Freib. P. I. p. 318.

d) v. de eo Hermanni Chron. Mitweid. p. 220. e) h. cit.

fam praesentiam ut exorem, non immerito a me postulant. Dicturi
vero sunt hoc ordine, et quidem breuitate in primis suas orationcu-
las commendatur. Nempe

- I. Io. SAMVEL DACHSELT, Falckenberg. quid sit amor, la-
tine exponet.
- II. ADAM. MARTIN. KRAEMER, Ruhland. de amore diuino,
et debito et utili, lat. loquetur.
- III. ADOLPH. GVL. BVRCKHARDT, Radeburg. iustum sui
amorem carmine germanico describet.
- IV. CAR. GODOFR. HÜBLER, Zschopau. de amore pa-
triae, regnorum rerumque publicarum fulcro, verba la-
tina faciet.
- V. IO. CHRISTOPH. CAR. KIESSLING, Brandis. de amore,
familias et stabiliante et confirmante, graece edifferet.
- VI. CAR. DAVID ACKERMANN, Ruhland. de amore, quem
iis, qui beneficia nobis exhibuerunt, ^{ferm}debemus, et
- VII. IO. CAR. GOTTLÖB HOFFMANN, de amore nec inimi-
cis denegando, latinus habebunt sermones.

Quibus absolutis BVRCKHARDVS suo et commilitonum nomine
PATRONIS et scholae valedicet, et IO. CHRISTIAN. TEV-
CHER, Magn. Dittmannsdorff. abeuntibus latinis versibus bona
quaevis apprecabitur.

Vt vero MAGNIFICVS noster EPHORVS, AMPLISSIMVS
SENATVS, summe Reuerendi Ecclesiae MINISTRI, et omnes
pie

AR Ya 3330

16



die Deuenerandi scholae nostraे PATRONI atque AMICI hos
Iuuenes craftina luce, auditâ hora pomeridiana secunda, locoque
consueto, benigne et amice audire, de nostraqe gratae mentis
studio certi esse velint, omni, qua possum, animi contentione Illos
obtestor atque enixe rogo. P. P. Dresdae, d. III. Maii a. r. f.
CCLXX.

missus est proposito

H. ADAM. PLATINUS. KREUZENBERG. Ruprecht de smotz quinque
se deponit et alii. Ite jodiscent.

III. ADOLENS. G. C. DE BURG. Ruprecht iniquum fit
sincronem cum beatoe Barbarae de smotz et

III. C. ET. G. DE BURG. Ruprecht de smotz et
sincronem cum beatoe Barbarae de smotz et

V. IO. CHALON. Ruprecht de smotz et
sincronem cum beatoe Barbarae de smotz et

VI. C. ET. D. VASCO. Ruprecht de smotz et
sincronem deponit et

VII. IO. C. ET. GOTTLIEB. Ruprecht de smotz nec minor
et sincronem deponit et

Quibus apud quinque decimatuera deo et communione sonore
PATRONIS ex iudeo-saxonicis et IO. GERMESTV. TAV.

et IO. M. DE DUNSTON. Spesnaturam perindea regalisque ponit
dignissima deponit et

XI. ADOLPHUS. LUDWICUS. JOSEPH. ET HONOR. AMPITISSIMUS

SEMINARIO. quam suauem pulchram MINISTERI et omissis
bis

16

n.

Pon Ya 3330, QK
f


ULB Halle
004 703 162

3



✓Dm8

B.I.G.



h. 76,44.



DE RECTORIBVS SCHOLAE NOSTRAE CRVCIANAE
PRIMA VICE SCRIBIT

ET VT

ACTVM VALEDICTORIVM

SEPTEM IVVENVM SPEM NON LEVEM PRAE SE FERENTIVM
AVT CERTO POLLICENTIVM

D. IIII MAII A. R. S. CLO CCLXX

HORA II. POMERIDIANA AVDITA

MAGNIFICVS EPHORVS PRAECELLENTISSIMVS
AMPLISSIMVSQVE REIPVBЛИCAE DRESDENSIS
SENATVS SVMME REVERENDI ECCLESIAE
MINISTRI

NEC NON OMNES

PATRONI FAVTORES ATQVE AMICI
SCHOLAE NOSTRAE PIE DEVENERANDI
ATQVE HONORATISSIMI

BENEVOLE PRAESENTIA SVA CONDECORARE
VELINT

OMNI OPERA ROGAT ET HONORIFICIS
VERBIS INVITAT

DANIEL TRAVGOTT MÜLLER

RECTOR SCHOLAE CRVCIANAE.

DRESDAE

TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.

